

DISPUTATIO SEXTA

EX EPISTOLA

PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, proponens ἀνάλογον capi-

tis quinti,

Cujus positiones

Divina adjuvante gratia,

Præside

DAVIDE RVNGIO S. S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

in Academia Vvitebergensi publico

defendet 23. Junij,

M. IOHANNES HUSVVEDELIUS
Hamburgensis,



VVITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus

Pauli Helwichij, Anno 1599.

Reverendis atq; Excellentiss.
Viris

Dn. AEGIDIO HUNNIO

&

Dn. DAVIDI LOBECHIO S.S.

Theologiae Doctoribus clarissimis,

Professoribus dignissimis,

Ecclesiae IESU CHRISTI Pastori-
bus vigilantissimis

*Dominis meis omni observantia
colendis*

IOHANNES HVSVEDELIVS M^o

hanc αναλυτικην συζητησιν debitae
gratitudinis M.O.N.

D. D.

CAPVT QVINTVM.



Tertiat hoc caput ad Epistolae hujus partem apologeti-
cam, qua pseudo doctoribus gloriantibus in facie, ut A-
postolus v. 12. loquitur, noc est, externis dignitatibus
Legis Mosaicae, nec non studiis sapientiae atq; eloquentiae
triumphantibus, opponit summam Evangelicae doctrinae utilitatem ac
majestatem. Ea cernitur in vivificis consolationibus opponendis morti,
in preparatione hominis ad possessionem aeternae vitae, et ad conspectum
justi judicis Christi in sublimi cognitione Christi, ac pretiosissimi illius
meriti. Idem ministerium Novi Testamenti vocat διακονίαν κατ' ἀγα-
θῆς, quod nimirum Deus per id offerat omnibus hominibus gratiam
reconciliationis propter satisfactionem Iesu Christi pro peccatis. Est
itaq; insigne caput hoc παραμυθητικόν, διδασκτικόν & ἀπολογη-
τικόν.

Initio dilucidius explicat consolationem petitam à mortuorum
resurrectione & spe aeternae vitae, annexam capiti praecedenti.

Secundo, fructum hujus doctrinae tam in ministerio, quam sin-
gulorum piorum hominum vita declarat.

Tertio in specie de se ipso & Apostolico officio suo differit, atq;
ostendit, se non carnalibus affectibus indulgere in ministerio, sed glo-
riae Christi & Ecclesiae aedificationi servire.

Quarto, De Evangelico ministerio reconciliationis, deq; toto
opere redemptionis & vocationis nostrae concionatur.

PRIMA PARS.

SCimus enim. Cohæret hæc pars cum præcedente consolatione,
petita à resurrectionis nostrae & aeternae gloriae spe. Estq; opposita
tacite objectioni: Si piæ secundum interiorem hominem renovan-
tur de die in diem, qui ergo fit, quod aequè moriuntur atq; impij? Re-
spondet Paulus morte corporis nihil nobis accidere mali. Hoc tri-
bus similitudinibus illustrat, quarum prima sumta ab aedificio, secunda
à vestimento, tertia à peregrinatione. Prima: Morte corporis, inquit,
dissolvitur terrestris domus hujus tabernaculi: Metaphora transla-
ta à tabernaculo vel tentorio, cujus neq; magna est firmitas, neq; per-
petuus usus, sed tantum ad tempus; quo elapso disiectione partium vi-
cissim dissolvitur: Talis est conditio corporis nostri, quod nihil est

In morte
hominis
pii nihil
est mali.
r. Similitu-
do.

Corp^o ho aliud, quàm domus *terrena*, caduca & fragilis. Interim verò
 minis est *pij* expectant aliam ædificationem (Hebraismus notans ædificium) in re-
 taberna- surrectione ad gloriam. Hoc novum ædificium opponit veteri & ter-
 culum. *vestri*. Primò, ratione efficientis, quia est ex Deo: Etsi enim corpora
 nostra quoq; miranda Dei providentia formantur & coalescunt in ute-
 ro matris, Ps. 139, tamen id fit mediante naturæ operatione: In resur-
 rectione verò Deus immediatè nova corpora, ex pristina mole perpur-
 gata est efformaturus. Eademq; de causa resuscitatorum corpora vocat
 domum non manu factam, quia in formandis & constituendis corpori-
 bus terrenis concurrat mediata hominis generatio. Secundò, Illa
omodoq; est aeterna, hæc verò est fluxa & caduca instar tabernaculi.
 Tertio, Illa est in cælis, hoc est, in cælesti statu gloria & laticia: Hæc
 est terrestris & misera.

Nam & in hoc. Amplificatur hæc responsio qua dixerat mor-
 tempiorum nihil esse, nisi tabernaculi terrestris & temporarij dissolu-
 tionem, ac proinde in ea nihil esse mali, ex adjuncto cum talis sit con-
 ditio mortis nostræ, & secutura gloria, idcirco ingemiscimus & cum
 desiderio habitationem istam, quæ de cælo est, expectamus.

Superindui. Altera similitudo est à vestimentis petita. Ge-
 rimus in hac vita vestem corporis, multis imbecillitatibus obnoxiam,
 do. multis maculis, morbis & doloribus deformatam. Sed in cælo expecta-
 mus aliam nobiliorem vestem, videlicet immortalitatis gloriam, qua
 corpus nostrum, quod in hac vita mortale est, tum obtegetur.

Hunc textum alij aliter interpretantur: Quidam judicant his
 vestis va- verbis conferri duo genera vestium inter se, quorum alterum sit interi-
 ria expli- us, videlicet imputata Christi justitia, alterum exterius videlicet gloria
 catio. immortalitatis & aeternæ beatitudinis: Ut sit sententia: Fruemur quidè
 1. aeterna gloria, eaq; superinduemur, ita tamen si veste obedientiæ & ju-
 2. stitiæ prius induti reperiamur. Alij non judicant vestes inter se
 conferri, sed corpus ipsum cum vestimento: Accedet enim corpori no-
 stro tanquam vestis quædam immortalitas & gloria, alterius seculi,
 quo respectu sancti dicuntur superindui, ita tamen si non nudi, sed cor-
 poribus induti reperiantur. Papiæ internam vestem de justitia ope-
 rum, externam de vitæ aeternæ gloria interpretantur, sed per futilissi-
 mam principij petitionem.

Nam & qui. Expolitio præcedentium similitudinum, quas con-
 junctim nunc repetit & plenius accommodat ad institutum: Nos, in-
 quit, qui sumus in hoc tabernaculo, sub onere corporis mortalis ingemi-
 scimus

scimus, gravati onere peccati, eo quod nolumus exspoliari, Non enim sine maximo dolore fit dissolutio animæ & corporis, & mallet anima omnino non spoliari tabernaculo aut veste corporis sui, sed supervestiri immortalitatis gloria, ita tamen ut quicquid mortale est in corpore nostro, absorbeat a vita.

Qui autem. Ratione confirmat dictam sententiam petita à finali causa creationis & regenerationis nostræ factæ à Deo: Ad utramque enim respicit vox κατεργασάμεν: Et utrumque beneficium etiam ad corpora credentium pertinet: Estque hæc sententia: Quod nos tam sollicitè ingemiscimus, & salva corporis substantia absorpta, interim mortalitate cupimus non exspoliari sed supervestiri, id non facimus præter aut contra Dei mentem: Ad hoc ipsum enim Dominus condidit nos & reparavit per regenerationis beneficium, idque per arrhabonem Spiritum Sanctum in nobis obsignavit, ut nimirum corpora nostra indueret immortalitatis & beatitudinis gloria.

Gemitus
piorum.

Θαγγύστε: Tertia similitudo sumta à peregrinantibus: Pij mortem in qua nihil mali est, non extimescunt, sed cum gemitu præsentis animo (θαγγύστε) desiderant: Quia sciunt se dum advenæ sunt in hoc corpore mortali & misero, peregrinari à Domino: Id ne quis de absentia Dei intelligeret, Paulus ipse interpretatur, dum nos ait, in hac vita ambulare per fidem, & non per aspectum, discernens nimirum duo genera cognitionis Dei, quorum alterum est πίσω, proprium huic vitæ, alterum πρόφιας 1. Cor. 13. 1. Iob. 3. proprium gloriæ cælesti. Et si igitur confidimus, dum in præsentis tabernaculo, tamen magis (αυδοκίμειν) probamus peregrinari à corpore, & presentes esse apud Dominum, hoc est, præsentis illius gloriæ & aspectu frui.

3.
Similitudo
à peregrinatione.

Themata.

EX hoc textu duas quæstiones ad disquisitionem proponere placet, quarum prima est de resuscitatis corporibus: Secunda de desiderio mortis.

I.

Quæritur utrum eadem corpora quo ad substantiam recepturi simus post resurrectionem vitæ, quæ nunc circumferimus in hoc seculo?

A 3

ἀπογία

II.

Origenis opinio.

ἀπορία questionis est, quia quæ sancti in altera vita habitura sunt corpora, ea non futura sunt terrestria, sed cœlestia. Vnde Origenes sensit, corpora nostra sic resurrectura, ut non habeant eadem membra, imò ea id futura, quod nunc est æther, aut cœlum, aut si quod aliud sincerius corpus.

III.

Suffragari videtur Origeni Beatus Paulus. 1. Cor. 15. qui corpora πνευματικὰ resurgentium ad vitam fore confirmat; Christus eisdem fulgorem solis attribuens Matth. 13. Et Daniel splendorem firmamenti & claritatem stellarum eis assignans Dan. 12.

IV.

Accedit insuper rei absurditas, siquidem multorum corpora aqua aut igni penitus consumuntur, aut à bestiis laniata in ipsorum transeunt substantiam: Nec videtur terrena moles capax spiritualis atque æternæ gloriæ.

V.

Confutatio Origenis.

Sed hæc opinio Origenica suo merito jamdudum explosa est ex teatro Ecclesiæ catholicæ, cum manifestæ scripturæ contradicat. Iobus enim cap. 19. disertis verbis fidem suam & Ecclesiæ profitetur, quod in mortuorum resurrectione eisdem oculos, eandem carnem eademque ossa sit recepturus.

VI.

- 2. Et Paulus hoc loco expressè fatetur in hunc finem ab initio condita esse hominum corpora, ut immortalitate vestirentur:
- 3. Et Dominus omnia suorum ossa custodite dicitur, ut ne unum quidem ex eis pereat. 2. Cor. 5.

VII.

4. Regeneratio etiam pertinet ad corpus.

Quin etiam corpora regenerationis spiritualis beneficium ad eundem finem participant, nec non viuifica Christi carne & sanguine unà cum anima cibantur, ut non tantum in hac vita sint habitacula Spiritus sancti, 1. Cor. 6. sed ut absorpta demum omni mortalitate, induantur cœlesti gloria & perpetua sit sanctæ Trinitatis templa.

VIII.

Cernitur hoc in Christo à mortuis resuscitato, qui cum sit primus in omnibus, 1. Cor. 15. suo exemplo ostendit qualis nostra

1672

nostra sit futura resurrectio. Is verò non aliud quoad *ὁμοίαν* corpus sepulcro extulit, sed omnino idem, quod ex virgine matre assumerat & in quo mortem senserat: Quod inter alia etiam clavorum vestigia ad discipulorum infirmitatem sublevandam ad tempus retenta ostendunt. Ioh. 20.

IX.

Et si igitur corpora beatorum non sunt terrestria futura quoad qualitates & dona, sed cœlesti splendore & luce fulgebunt, tamen quoad substantiam eadem omnino sunt futura. Resurrectio enim piorum corporibus, gloriam & immortalitatem addet tanquam vestimentum, veritatem non auferet.

X.

Absurditas verò in hoc summo fidei mysterio movere Christianorum debet neminem: Cum sciamus apud Deum nihil esse factu difficile Ierem. 32. nedum impossibile Luc. 1, Iob. 42, Zach. 8.

De mortis desiderio.

XI.

Altera quæstio est, liceat ne Christiano exoptare mortem? Ratio dubitandi est, quia cum mors sit destructio naturæ horribilis quam omnes naturâ aversamur, non videtur expetenda esse.

An exoptanda mors.

XII.

Accedit & hoc quod sancti sciunt & consentiunt vitæ & mortis nostræ spacia non ex suo pendere voto, sed ex divinæ majestatis arbitrio, Psal. 31. In manibus tuis sunt sortes meæ & tempora mea coram te, Psal. 39. & 90. Tu dixisti revertimini filii hominum.

XIII.

Contra verò non defuerunt, qui mortem non modò exoptandâ, sed modis omnibus accelerandâ esse existimarent, tanquam viam ad æternam felicitatem malorumque omnium metam ac finem. Ac proindè non tantum ab aliis illatam, sed etiam proprio ansu inflictam tanquam fortitudinis argumentum sunt interpretati.

Nec



XIV.

Razia factum.

Nec tantum Ethnicorum præconiis celebrantur ἀνδραγαθία ut Lucretia, Cato Uticensis, Mithridates, Demosthenes &c, sed etiam Razia cuiusdam Iudæi factum non dissimile commendatur in secundo Maccabæorum libro cap. 14. quasi nobiliter & heroicè egerit, & cum sibi ipsi manus intulisset, dominatorem tamen vitæ invocare potuerit.

XV.

Donatistarum furor

Omniùm verò tam Ethnicorum quàm Iudæorum insaniam longo intervallo post se reliquit Donatistarum sive Circumcellionum furor. Hi enim voluntariam mortem spontè sine ulla necessitate urgente acceleratam, martyrium appellarunt: variosque modos homines enecandi excogitarunt, quorum tres tamen maximè illis familiares fuisse testatur Augustinus, Epistola 50. ad Bonifac. inquit: Per abrupta præcipitia, per aquas & flammam occidere seipsos, quotidianus illis ludus est. Nonnunquam terrebant armatos viatores, ut nisi à Donatistarum factiosis occidi vellent, vim armorum in ipsos converterent.

XVI.

Causa illis tantæ insanie fuit, tum Satanæ, qui mendax & homicida est Iohan. 8. impulsio, tum vana martyrii frustra affectati dignitas & gloria, tum odium ac tædium aliorum hominum, quibus cum vivendum erat.

XVII.

Hi manifesti furores orti à Diabolo, & pugnantes cum expresso Dei mandato, Non occides, atq. evertentes providentiam Dei, determinantem cuique hominum certum vitæ spacium prolixam confutatione indigni sunt.

XVIII.

Donatistarum error refellitur.

Nemo enim nostrum sibi vivit, neque sibi moritur Rom. 14. Nec quisquam est, qui sibi ipsi vitam dederit, quare non sine insigni sacrilegio grandiq. piaculo eam sibi auferre potest. Nam jus ac potestatem Dei sibi rapit, qui id molitur.

XIX.

Neq. id est fortitudinis, uti Ethnici quidam falso jactitarunt, sed timiditatis vitiosæ & culpandæ, ut Augustinus eruditè ostendit lib. 1. de Civit. Dei cap. 22. 23 & consentit Aristoteles lib. 3. Eth. Nico. cap. 7.

20. Vnde

XX.

Vnde manifestum est popularem illam commendationem Raziae magis esse quam veram, cum non modo in principia Theologiae, sed etiam sapientiae humanae impingat: Ac proinde quale istius scriptoris iudicium fuerit, & qualis sit libri istius autoritas, in Ecclesia conjecturam hinc cuius facere non est difficile.

XXI.

Interim verò non uno loco scriptura testatur, Sanctos exoptasse mortem, idque partim rectè, partim vitiosè, nimirum pro ratione causarum impulsivarum & finalium. Nam & Ionas cap. 4. sibi precatur mortem, & Paulus Phil. 1. Cupio dissolvi & esse cum Christo. Ille malè, hic benè: Ille impatientia, hic amore Christi ardenti inflammatus.

XXII.

Pii igitur etsi ingemiscunt, gravati sub onere corporis peccato corrupti & mortalis, & superindui immortalitate cupientes 2. Cor. 5. Interim tamen subiiciunt se suaque omnia clementi voluntati divinae ad omnem fortunam excipiendam, & Deo auxiliante superandam prompti ac parati.

SECUNDA PARS.

Praecedenti parte Apostolus ostendit pijs mortem non tam esse ex-
timescendam, quam cum desiderio expectandam, propter beatam
spem resurrectionis, glorificationis corporum & consuetudinis
cum Christo Salvatore. Ejus doctrina usum latè patentem ad omnes vi-
tae ordines secunda capituli parte breviter explicat: Ideo inquit φιλο-
τιμῶμεθα, hoc est, quasi proposito bonorum certamine, omni conten-
tione operam damus, ut Christo Domino nostro, qui est βασιλεύτης, <sup>φιλότη-
μια Χρι-
στiana</sup>
1. Cor. 9. & αγαπήσῃς 2. Tim. 2. placeamus. Idè sive ἐνδεδυμένοι, <sup>φιλότη-
μια Χρι-
στiana</sup>
hoc est, in corpore quasi agentes sive ἐνδεδυμένοι, id est, extra corpus
migrantes & in patriam peregrinantes, vel, ut Rom. 14. dicitur: sive
vivimus sive morimur. Omnes &c. Assertionem, qua monet,
unicuique dandam operam esse ut Christo placeat, confirmat rationibus
petitis ab honesto & utili: 1. Christus est futurus Iudex omnium: Meri-
tò igitur annitendum, ut ipsum habeamus propitium.

2. Referet unusquisque ea quae gessit in corpore sive bona sive ma-
la, Plus-

B

la, Plus-

Terror
Domini.

la, Plurimum itaq; conducit, ita moderari, ut in iudicio Dei consistere
valeamus. Scientes: Prior usus in genere omnes concernit homines:
posterior proprie spectat ad Evangelii ministros, qui cum sciant resta-
re aliud post hanc vitam iudicium, quod Paulus Emphatica locutione
vocat τὸν φόβον τοῦ κυρίου terrorem Domini, hoc est terribile iudicium,
partim ipsi ita vivunt, ut Deo sint manifesti & probati, partim alios
ita docendo & suadendo instruunt, ut inoffenso pede & conscientia
pacata coram tribunali Christi compareant. Spero, &c. Posterius
membrum, spectans privatim ad Apostolos & ministros verbi, quos
DEO manifestos esse dixerat, amplificat alia circumstantia personæ:
Spero, inquit, nos ita sanctos ministerio, ut non modo Deo possimus
probare rationem administrati muneris, sed etiam conscientias vestras
vocare in testimonium veritatis.

De Extremo Iudicio.

I.
Insignis est Apostoli sententia: Omnes nos manifestari
oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque ea quæ in
corpore fecerit, pro ut ea fecerit, sive bona sive mala.

Epicureis-
mus.

II.
Hac sententia primò definitur quæstio an sit, de qua homi-
nes profani & Epicurei omnium temporum dubitationibus in-
extricabilibus distracti fuerunt. Qui enim omnia casu extitisse, aut
qui mundum æternum principio & fine carentem esse, qui provi-
dentiam nullam esse senserunt, hi iudicii divini post hanc vitam
expectandi rigorem penitus irriserunt. Quales describuntur
Sap. 2. Psal. 94. 2. Pet. 1. 3.

Ratio in-
telligit re-
stare ali-
ud iudici-
um.

III.
Ipsa vero ratio, quæ ex visibilibus creaturis Dei sapientiam ac
potentiam agnoscit Rom. 1. confiteri cogitur ordinem iustitiæ
necessario exigere, ut post hanc vitam aliud restet iudicium, quo
ea quæ impii hac vita impunè commiserunt inflictis pœnis di-
gnis reducantur ad regulam & quæ pii immeritò in hac miseria-
rum valle perpessi sunt, præmiis compensentur æternis. Alioqui
Iohannes Baptista, Prophetæ, Apostoli, & Martyres miserissimi
essent.

essent omnium hominum, qui propter gloriam Dei & Veritatem digna morte sunt perempti.

IV.

Sed hanc ratiocinationem longè certius confirmat vox doctrinæ cœlestis, quæ passim tale iudicium restare testatur Ecles. 12. Deus omnia adducet in iudicium, etiam occulta, tam bona, quàm mala. Esa. 45. Vivo ego dicit Dominus, mihi flectetur omne genu Roman. 14. Matth. 24. & 25. Iohan. 5. Roman. 2.

V.

Deinde præfens testimonium Pauli ostendit, qui nam sint iudicandi: Omnes nos manifestari oportet. Non ergo tantum impij prodibunt in iudicium, sed etiam pii. Et quidem Paulus seipsum unà includit pronomine addito. Hoc vero non videtur satis convenire cum assertione Christi Iohan. 3. Qui credit in filium non iudicatur, Iohan. 5. Qui credit habet vitam æternam & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam.

VI.

Nulla verò in his dictis est contrarietas propter ἀμφιβολίαν vocabuli: Iudicium enim quando in forensi significatione usurpatur in Scriptura interdum condemnationem significat, ut Iudicium mortis est viro huic, id est sententia mortis dignus est hic Ierem. 26. Deinde ipsam causæ cognitionem, quæ fit in Iudicio Ierem. 2. Iudicio contendam vobiscum. Tertio moderationem sive ἐπιείκεια in executione latæ sententiæ. Ierem. 30. Castigabo te in Iudicio, hoc est, servato moderamine. Quarto denique significat actum iudicii in quo Iudex & partes ad tractationem causarum conveniunt.

VII.

Omnes igitur pii verè ac finaliter in Christum credentes non veniunt in iudicium secundum tria priora significata: Nam à damnationis sententia liberati sunt Rom. 8.

Neque illorum peccata venient in cognitionem aut publicantur in iudicio extremo, quia sunt deleta sanguine Christi, Col. 2.

De voce Iudicij.

Quomodo credentes non veniant in iudicium.

1672



Col. 2. Deus projecit omnia peccata nostra in profundum maris
Mich. 7. nec recordatur eorum amplius Es. 43.

IX.

Neque ulla pœna piis in iudicio extremo est metuenda. Ve
enim peccata non sunt ventura in disquisitionem, ita pœnæ simul
omnes evanescent propter plenissimam Christi satisfactionem,
qua tam culpa quam pœna peccati plenè est expiata, Esa. 53. Si
ergo pœnæ nullæ, ergo nec moderatio earundem poterit habere
locum.

X.

Relinquitur quarta significatio vocis, secundum quam cre-
dentes & Electi dicuntur comparituri, in iudicii extremi actu, lo-
candi angelorum ministerio ad dexteram iudicis, ad audiendam
publicationem sententiæ, quæ per vocem Evangelii in orbe jam
ante sonat, nimirum: Venite benedicti patris mei, & hæredita-
tem adite regni parati vobis ab exordio mundi Matth. 25.

XI.

III. Index Tertio iudicem exprimit Apostolus, dum appellat tribu-
nal Christi. Hunc enim constituit Pater iudicem omnium Ioha.
5. Rom. 14. Matth. 25. Luc. 21.

XII.

Et quia istam iudicii potestatem Christus accepit etiam se-
cundum humanam naturam Iohan. 5. Hanc vero non nisi per
divinam omniscientiam atque omnipotentiam exercere potest,
manifestè inde liquet, humanam Christi naturam τῆς θεῶν ἐνεργεῖα
locupletatam esse.

XIII.

IIII.

**Norma
& finis.**

Quarto normam iudicii extremi & finem eiusdem expri-
munt verba, ut referat unusquisque ea quæ gessit in corpore, sive
bona sive mala: Iudicabuntur enim homines secundum opera, si-
cut sæpissimè testatum fecit scriptura: Dominus reddet unicuique
secundum opera sua, Psal. 62. Rom. 2. Matth. 16. vers. 27.

XIV.

Id verò secundum scripturæ interpretationem dextrè est in-
telligendū, nimirū sicuti arbores iudicantur ex fructibus Matth. 7.
Ex

1612

Ex operibus enim tanquam ex fructibus incurrentibus in oculos, pronunciabitur de persona, fueritne renata, & fide justificante prædita Matth. 25.

XV.

Neq; tamen inde concluditur Papistarum dogma, qui ex hoc *Antithesis* testimonio, quemadmodum ex præcedenti, Superinduemur, si ta- *Papistica.* men non nudi reperiamur, per ineptam petitionem principij concludunt, nos propter vestem bonorum operum coronatum iri æterna gloria.

XVI.

Vita enim æterna donum Dei est gratis datum per Christi meritum & satisfactionem fide apprehensam, Rom. 3. & 6. Et vestis nostra, qua in iudicio Dei comparendum nobis est, solus est Christus, 1. Cor. 1. Gal. 3.

XVII.

Simul tamen & necessitas bonorum operum, secundum *Bona ope-* quæ de fide nostra iudicabitur patet, eorundemq; retributio in al- *ra neces-* tera vita, in qua ideo futuri sunt differentes gradus gloriæ, quia in *saria.* hac vita magnum est fidelium, quoad labores & certamina discrimen 1. Cor. 15. Dan. 12. In hanc sententiam operibus bonis magna dicitur proposita merces in cœlis, nimirum propter gratuitam compensationem Matt. 5.

XVIII.

De malis verò operibus dubium non est, ea mereri æternam damnationem servato quoq; pœnarum discrimine, ut patet Matt. 11. Luc. 12.

XIX.

Nec tantum hi, qui enormia delicta commiserunt, præcipitabuntur in Gehennam, sed simul omnes, quotquot vera in Christum fide caruerunt, etiamsi de societate humana alioqui præclare fuerint meriti, ut Socrates, Aristides, Scipio, Cato, Cicero aliique *Zuinglij* Philosophi, Poëtæ, Oratores, Reges ac Principes inter Ethnicos, *opinio.* quibus æternam salutem sine Christo agnito polliceri secundum insanam & hæreticam Zuinglij assertionem nullo modo possumus.

TERTIA PARS.

Non iterum. Concludit tandem Apostolus Apologiam ministerij sui, oppositam adversariis extollentibus prædicationem Legis,

B 3

Et

et ostendit se non indulgere carnalibus affectibus, sed sincerè diligere omnes, & hoc unice dare operam, ut omnes sensu renoventur & in Christo sint nova creatura, quandoquidem vetera, quæ sub Mose ejusq; ministerio tantum spectabantur, præterierint.

**Gloriari
ex facie.**

Non iterum. Initiò respondet tacitæ objectioni; qua ipsum proprias decantare laudes, contra protestationem cap. 3. v. 1. positam affirmare potuissent malevoli. Respondet Apostolus per monstratam fallaciam causæ: Hæc, inquit, scribo, non ut iterum nos vobis commendemus, sed ut vobis profimus, ut ex hac commemoratione & φεραῖν habeatis gloriandi pro nobis, eamq; opponatis his qui ex facie captant gloriam, & non ex corde. Gloriari ex facie, est captare gloriam ex splendore externo, vel doctrinæ, qualis erat majestas promulgatæ Legis, vel personæ, ex eloquentia, eruditione, sapientia, autoritate: Talis laus Ecclesiæ vel personæ alicujus fucata est, cum vera ejus commendatio ab internis ornamentis dependeat, Ps. 45.

**Insania
Pauli.**

Si enim. Rationibus aliquot confirmat præcedentem assertionem. Prima. Ego in ministerio non meis laudibus deservio, quia omnia ad gloriam Dei & Ecclesiæ ædificationem refero. Sive enim ἐξίσχυρι, id est, insanimus, Deo insanimus, hoc est, si hic meus ardor in docendo Evangelio de Christo, & plantandis Ecclesiis est insania, ut à sapientibus hujus seculi, inter vos judicatur, tum non ipsis, sed Deo insanio, quia & ab ipso zelus iste ortus & ad illius tendit gloriam. Contra, si modesti sumus aut sana mente sumus (ita enim commodius respondet antithesis) hoc est, si de isto insolito fervore aliquid remittimus, id quod vestri politici modestiam, moderationem aut sapientiam solent appellare, jam id quoq; non mei, sed vestri commodi causa à me fit.

**Charitas
Christi.**

Secunda ratio est à causa impulsiva, Charitas Christi urget nos tum ea qua Christus nos dilexit, tradendo semetipsum pro peccatis nostris, tum ea, qua ego Christum vicissim diligo & illius honorem modis omnibus auctum cupio.

Æstimantes.

1612

Estimantes. Tertia ab exemplo Christi petita: Sicuti Christus non sibi sed nobis servivit; Ita decet & nos non in servire proprijs nostris commodis, sed utilitati publicæ totius Ecclesiæ. Et sicuti Christus affectu dilectionis impulsus ista omnia spontè in se recepit, ita & in nobis Charitas Christi non debet esse ociosa, sed efficax ad provehendam Ecclesiæ utilitatem.

Exemplum Christi.

Quarta ratio: sicut Christus à mortuis resurrexit, ita & nos qui Christi sumus non debemus venari laudes nostras aut utilitates, quod eorum est, qui adhuc veteri serviunt Adamo, & nondum sunt peccato mortui, sed debemus in simplicitate cordis spectare ea quæ Dei & veræ vitæ sunt. Sunt enim renati non tantum imputativè mortui, cum Christus pro nobis moreretur & precium æquivalens exolveret pro totius mundi peccatis, sed imprimis hi, qui per baptismum & fidem Christo sunt inserti cum ipso mortui sunt peccato, ut deinceps vivant justiciæ, Rom. 6. Itaque ex hoc. Concludit præcedentia argumenta his verbis, quorum sententia est: Cum hoc sit mihi alijsq; fidelibus Evangelij præconibus propositum, uni Christo servire, nemo est ex hoc sacro Apostolorum & docentium ordine qui pro sincero Christi servo velit haberi, Et tamen carnalia ista, quæ vestri doctores mirantur & sectantur, querat. Non igitur carnali affectu secundum faciem judicamus de sinceris Evangelij ministris. Hoc enim significat Paulo nosse secundum carnem, Etsi. Correctio est, qua fortius id quod modò dixerat asseverat, adjecta limitatione: Fateor, inquit, me cum adhuc essem Phariseus, de Christo non nisi carnales habuisse cogitationes & spem aluisse merè mundanam: Sed nunc Dei beneficio ista mea inscitia est emendata.

Renati cū Christo mortui.

Nosse secundum carnem.

Si quis igitur. Generalis conclusio hujus partis, qua ostendit omnes qui Christo sunt per fidem insiti novas creaturas (ratione qualitatū, non substantiæ ut Flaciani delirant) esse factas, nimirū per beneficiū renovationis inceptæ per Spiritū S. Si ergo novæ sunt creaturæ, Ergò

novis



*novis etiam operibus hanc novitatem testari debent. Id confirmatur
Prophético testimonio: Esa. 43. v. 19. Vetera transierunt, Ecce nova
facta sunt omnia. Vetera sunt, quæ à nobis & peccatorum ducunt,
nova quæ à Christi beneficio in nobis proficiuntur. Sunt autem o-
mnia innovata, videlicet, inchoative non absolute secundum omnes vi-
res & facultates hominis, in quibus hoc beneficium est inchoatum.*

T H E S E S

I.

Diligenter notanda est sententia, Si unus pro omnibus est mortuus, nonne omnes mortui sunt, quæ mortis Christi meritum & efficaciam perinde æstimari ait à Domino, ac si omnes mortui essent.

II.

*Meritum
Christi.*

Non enim sibi acquisivit aliquid moriendo Christus Salvator, sed nobis, & quia illius obedientia fuit indebita, imputari alijs ad justitiam potest: Et quia fuit absolute perfecta, in justitia ista imputata desiderari nihil à quopiam potest, Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3.

III.

*Mori pec-
cato.*

Sicuti autem in Christo censemur mortui pro peccatis: Ita quotquot justitiam Christi amplectimur cum ipso mori peccato debemus & justitiæ vivere secundum novum hominem, Rom. 6.

IV.

Vetera enim in renatis transierunt, vetus malitia, & culpa, & nova facta sunt omnia, novus Spiritus, novum cor, nova lux, nova voluntas, novæ vires. Quæ omnia non Manichæorum aut Flacianorum more de nova substantia, sed de renovatis qualitatibus sunt intelligenda. Hæc autem omnia servire debent Deo in justitia & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ, Luc. 1.

V.

*Necessitas
operum.*

Sunt igitur bona opera necessario præstanda propter mandatum Dei, & quia bona arbor non potest non bonos producere fructus. Impossibile enim est, ut aliquis verè sit nova creatura in Christo, qui veteris Adami facit opera.

Eadem

VI.

Eadem sententia Pauli, Christus pro omnibus mortuus est, opponenda est Calvinistarum erroribus & blasphemis, asserentibus Christum non esse mortuum pro omnium & singulorum hominum peccatis, idq; ex instituto, ordinatione & voluntate Dei, secundum quam Christus tantum sit missus electis ut illorum peccata expiaret.

Error Calvinianus.

VII.

Huic blasphemo dogmati opponenda sunt oracula Spiritus S. quæ disertè testantur, Christum non pro aliquibus aut paucis tantum, sed in universum pro omnibus omnium hominum peccatis mortuum esse, inter quæ non postremum est, quod in hoc nostro textu legitur. Et similia extant Rom. 8. 1, Tim. 2. Ioh. 12.

VIII.

Non enim solis Electis tantum datus est Christus, sed toti impio & ingrato mundo Ioh. 3. Et ipse est propitiatio non tantum pro peccatis nostris (hoc est credentium & vocatorum) sed etiam pro peccatis totius mundi. Vbi addita determinatio, Totius, omnem Calvinianam exceptionem simpliciter excludit.

Christus mundo datus.

IX.

Hinc est quod scriptura eos quoq; sanguine Christi redemptos affirmat, qui propriæ incredulitatis culpa pereunt, quales sunt Pseudo Prophete & falsi doctores, abnegantes Dominum qui ipsos meratus est, 2. Pet. 2. Nec non infirmi fratres, qui offensi abusu libertatis Christianæ resiliunt ab agnita veritate ad pristinas sordes Ethnicorum & pereunt Rom. 14. 1. Cor. 8.

X.

Deniq; quod in textu dicitur, Non novimus Christum secundum carnem, non patrocinator errori Calvinistarum docentium, Christum secundum carnem nunc ita in cælis esse ut maximo locorum intervallo omnimodè absit ab Ecclesia in terris militante. Quò etiam imperitè quidam traxerunt dictum, Peregrinamur à Domino.

De absentia Christi secundum carnem.

XI.

Posterius enim dictum de peregrinatione nostra à Christo non de locorum distantijs, sed de status & conditionis differentia, Prius non de Christi absentia, sed de carnalibus cogitationibus & consiliis in regno Christi est intelligendum. Non novimus Christum

Christum

1612

7



stum secundum carnem, id est, Nihil carnale aut mundanum in eo
quærimus, aut sapimus, sed tantum spiritualia æterna & cœlestia
bona.

XII.

**Fundamen-
ta præsen-
tiæ Christi
secundum
carnem in-
terris.**

Repugnat præterea error hic de absentia naturæ humanæ
Christi ab Ecclesia militante manifestis promissionibus Matth. 18.
& 28. & institutioni Cœnæ Dominicæ, 1. Cor. 11. nec non exalta-
tioni ejusdem ad dextram virtutis Dei, Matt. 28. Act. 7. Eph. 1.
& 4. Restringenda verò doctrina de præsentia carnis Christi in
terris est ad certa oracula scripturæ, atq; extra ea in tam sublimi
mysterio ex consequentijs humanæ rationis nihil est concluden-
dum amplius, quam quousq; Spiritum S. ducem habemus.

QUARTA PARS.

Postrema capitis parte Apostolus fontem omnium beneficiorum
Dei & consolationum ostendit, videlicet Deum placatum per sa-
tisfactionem Christi, & offerentem cœlestia bona hominibus per
ministerium reconciliationis. Atq; ceu in brevi & succincta Epitome
præcipuas doctrinas Evangelij de Christi persona, officio & beneficijs
complectitur. Omnia autem. Respiciunt hæc ad præcedentia verba,
quibus de resurrectione corporum, glorificatione æterna credentium,
donatione Spiritus S. & renovatione nostra differuit: Hæc omnia, in-
quit, ex Deo sunt, qui nos sibi reconciliavit per Christum, & dedit no-
bis ministerium reconciliationis. His verbis utriusq; generis beneficia
comprehenduntur, tam ea quæ ostendunt unde tanta Dei erga peccato-
res sit benignitas, nimirum, quia reconciliavit eos sibi per Christum,
quàm quæ docent quomodo hæc bona Christi applicentur, videlicet per
ministerium verbi, quod nihil aliud est, quàm annuntiatio reconcilia-
tionis.

**Omnia ex
Deo.**
**Duplicia
Dei benefi-
cia, in ac-
quirendo
& appli-
cando.**

Hæc duo membra verbis sequentibus usq; ad capitis finem ex-
plicat. Prius quidem de reconciliatione v. 19. inquit, Eam non ab ho-
minibus, aut angelis, non à sola humana Christi natura, sed à Deo ipso
qui in Christi carne assumpta habitabat personaliter fuisse peractam:
Nec tantum eam pertinere ad paucos in genere humano, sed ad univer-
sum mundum, quem Deus sibi ipsi reconciliavit: Ejus fructum ac fr-
nem esse hunc, quod Deus nolit amplius hominibus in mundo (si nimi-
rum hanc Christi victimam apprehendant) imputare peccata illorum,
sed ea gratis per & propter Christi meritum credentibus remittere.

Posterius



1672

Posterius de applicatione huius beneficij exprimitur v. 19. & 20.
 Idem Deus posuit in nobis, hoc est, mandatum dedit nobis proponendi
 mundo Verbum reconciliationis: Sic appellatur Evangelium, pro-
 pter finem principium illius doctrinae, qui est, ut Deo reconcilientur
 homines, sicut ipse per meritum Christi placatus est hominibus. Hoc
 ipsum v. 20. clarius exponit verbis admodum significantibus, Nos
 Apostoli & ceteri doctores sumus legati pro Christo, hoc est, tum ab
 ipso sumus ablegati, tum illius vicem sustinemus, tum deniq; de ipso pra-
 cipua legationis nostrae capita agunt. Deus enim hortatur per nos
 omnes homines ut poenitentiam agant.

Evangelii
 nova ap-
 pellatio.

Obsecramus. Conclusio secundae partis, qua executionem man-
 datae sibi & collegis suis legationis describit: Obsecramus vos pro
 Christo reconciliemini Deo. Est alioqui partis laedentis ut illa petat
 delicti veniam a parte laesa: Sed hic invertitur ordo: Deus enim lae-
 sus primo omnium ex immensa sua misericordia dilexit nos, & nos pec-
 catis corruptos insuper per legatos suos orat, ut sibi reconciliemur,
 cum tamen huius rei utilitas nulla ad ipsum, maxima ad nos redeat.
 Atq; ita omnia haec membra ad illustrandam & magnifice praedican-
 dam Dei clementiam spectant.

Deus nos
 invitat ad
 reconcilia-
 tionem.

Eum enim qui. Confirmatio laetissima praedicationis de Deo
 placato nobis per filium: Quia inquit Deus eum, id est Christum, qui
 non novit peccatum, qui sine peccato conceptus, nullum unquam pecca-
 tum fecit; (Nosse Hebraica phrasi dicitur pro habere, diligere, usurpa-
 re.) Hunc pro nobis fecit peccatum, hoc est, aestimavit eum sceleratum,
 atq; omnium peccatorum totius mundi reum & tanquam piacularem
 hostiam ac victimam pro peccato pro nobis offerri voluit, ut nos effice-
 remur iusticia Dei, hoc est, iusti coram Deo, non proprijs nostris meritis
 sed in ipso. Sicut enim Christus imputatione alieni peccati non ima-
 ginarie sed vere factus est coram Deo peccatum & maledictum: Ita
 nos imputatione alienae iusticiae efficimur coram Deo iusticia & sancti-
 ficatio, 1. Cor. 1. Haec de textu, in quo plurima sunt doctrinae Christia-
 nae capita quae nos breviter tantum notata proponemus.

Imputatio
 realis.

C 2

Theses

17



T H E S E S

De Christi Persona & officio.

I.

*Natura
Christi.*

Christum mediatorem verum Deum esse hoc loco affirmat
Apostolus inquit, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Sicut & dicitur Act. 20. Deus sanguine suo redemit Ecclesiam.

II.

Eundem quoq; verum hominem ab omni tamen peccato purum & immaculatum fuisse ostendunt verba: Christus qui non novit peccatum pro nobis factus est peccatum, hoc est, maledictum & victima pro peccatis nostris.

III.

Unio.

De admiranda Unione personali duarum naturarum in Christo intelligenda est locutio: Deus erat in Christo, non de Nestoriana inhabitatione vel alsistétia τὸ λόγῳ ad carnem, sed de hypostatica inhabitatione, sicut alibi dicitur, Verbum caro factum est. Ioh. 1.

IV.

Officium.

Vnicus est mediator inter Deum & hominem Christus Iesus pro nobis omnibus mortuus, per quem facta est reconciliatio nostra cum Deo, qui pro nobis factus est peccatum & victima pro peccato, ut nos efficeremur iusticia Dei in ipso. Vana igitur est Ethnicorum & Papistarum præsumptio alios homines in hujus sublimis officij societatem advocans.

V.

*Stancari
error.*

Non tantum secundum humanam naturam Christus est mediator noster, ut Stancarus deliravit, & Iesuitæ sentiunt, sed etiam secundum divinam, dicente Apostolo, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Hæc sententia non gignit novum Arrianismum, sicut impudenter mentitur Bellarminus.

*In catalo-
go errorũ
libri Con-
cordia.*

Missio enim & obedientia non tollunt divinæ naturæ veritatem, quia fiunt à λόγῳ ex decreto totius sacrosanctæ Trinitatis: Nihilq; efficit Iesuita argumento suo. Qui obedit, distinguitur ab eo, cui obedit: Christus ex opinione Lutheranorum obedit Patri etiam secundum divinam naturam, atq; hinc evidenter sequitur, ut duæ sint Deitates: Hoc est argumentum quod solvere debuissent Theologi, cujus tamen vim non intellexerunt. Hæc ille.

VI.

*1. Ra-
tio Ie-
suitæ.*

Missio enim & obedientia non tollunt divinæ naturæ veritatem, quia fiunt à λόγῳ ex decreto totius sacrosanctæ Trinitatis: Nihilq; efficit Iesuita argumento suo. Qui obedit, distinguitur ab eo, cui obedit: Christus ex opinione Lutheranorum obedit Patri etiam secundum divinam naturam, atq; hinc evidenter sequitur, ut duæ sint Deitates: Hoc est argumentum quod solvere debuissent Theologi, cujus tamen vim non intellexerunt. Hæc ille.

Cæterum

VII.

Cæterum non est illud argumentum tam firmum sicut arbitratum Iesuita, quippe cū etiā in rectas concludendi leges impingat: Si enim conclusio Iesuitæ inde emergere debuit, major ita formanda erit. Quicumq; obedit alteri distinguitur ab altero, secundum id, quod illi obedit.

VIII.

Hac igitur limitatione majoris posita, manifesta fit confusio essentiæ Deitatis & officij in minore: Quia λογος etiam in Veteri Testamento respectu futuræ incarnationis & obedientiæ in carne præstandæ fuit mediator humani generis. Quo tempore cum humanam naturam nondum assumerit, utiq; secundum divinam naturam, non respectu essentiæ consideratam (quam numero eandem esse cum Patre verè credimus) sed respectu officij huius ex communi decreto totius sanctæ Trinitatis suscepti, verè Patri obediuit.

Alia dicta loquuntur de essetia alia de officio.

IX.

Itaq; distingui filium à Patre respectu officij, secundum quod obediuit Patri dicimus, sine ulla æternæ Deitatis, quæ tribus personis unà & communis est ac manet, diminutione. Possè autem τὸν λογος etiam ante incarnationem considerari tum ratione essentiæ, qua Patri est ὁμοσσιος, tum ratione officij mediatoris in tempore perficiendi, qua à Patre distinguitur, Christianorum nemo negaverit.

X.

Hinc etiam alterum argumentum, quo dicitur, Is, qui obedit, minor est eo cui præstatur obedientia. Ergo Christus secundum divinam naturam minor erit Patre dilucidè explicatur: Non enim de essentiæ, potentiæ, gloriæ, æternitatis aut majestatis minoritate (ut ita loquamur) hic disputatur, quam ab Arianis affirmatam excramur, sed de officij respectu differimus.

2. Ratio.

XI.

Neq; de obedientia necessariò præstanda quam Bellarminus Sophisticè huic negotio infert, sed de obedientia arbitraria sive sponte suscepta agimus. Filius enim Dei spontè sua se obtulit ad præstandam satisfactionem pro humano genere: Nec tantum necessaria obedientia est veri nominis obedientia, ut fingit Iesuita, sed etiam spontè suscepta à persona quæ dignitate & potentia alteri par est verè obedientia appellanda. Talis vero obedientia nihil impedit equalitatem potentiæ, perindè, ut nec missio filij in carnem, eandem evertit.

Duplex obedientia necessaria & arbitraria, sive voluntaria, hæc potest esse inter pares.

C 3

Textum inter pares.

1672

77



3. Ratio.

XII.
Tertium denique argumentum Iesuitæ nihil efficit ad hanc
thesin evertendam, qua dicimus Christum mediatorem nostrum
esse etiam secundum divinam naturam. Procedit enim à non di-
stributo ad distributum, quando inquit: Secundum eam naturam
Christus obedivit Patri, secundum quam & mortuus est.

Solutio.

XIII.
Sunt enim officii Mediatoris partes plures, quarum aliæ perti-
nent ad humiliationem, aliæ ad victoriam & exaltationem. Fi-
lius Dei igitur ut humiles & abjectas istas partes peragere posset
humanam naturam personali unione sibi copulavit, ut in ea mor-
tem gustaret, & profusione sanguinis sui Ecclesiã sibi acquireret.

Plures
sunt par-
tes officij
mediato-
ris.

XIV.
Nulla verò est consequentiæ ratio, Christus omnes obedi-
entiæ suæ partes non explevit secundum divinam naturam. Ergo
nulla ratione mediator noster est secundum divinam naturam.

Missio in
carnem
est pars
officij.

XV.
Fatentur ipsi Iesuitæ, Filium Dei etiam secundum divinam
naturam missum esse ad redimendum humanum genus. Cumque
hæc ipsa missio sit pars officij mediatoris, perspicuum est ipsos et-
iam invitos confiteri: Christo mediatoris officium competere se-
cundum utramque naturam servato interim operationum utri-
que naturæ congruentium discrimine.

4. Ratio
Iesuitæ
quæ dicit
nos desti-
tui scri-
ptura.

XVI.
Et quia denique Scripturæ vocem requirit Iesuita, audiat
Paulum hoc loco dicentem, Deus erat in Christo mundum re-
concilians sibi. Reconciliatio extra controversiam est opus medi-
atoris. Hoc verò non tantum tribuitur humanæ naturæ Christi,
sed expressè asseribitur ipsi Deo, hoc est, divinæ naturæ. Audiat
Epistolam ad Hebræos cap. 7. Lex constituit homines sacerdotes
infirmiorem habentes: Sermo autem jurisjurandi *filium in eter-
num consummatum*. Audiat denique Christum ipsum ioha. 3. Deus
misit *Filium*, ut salvetur mundus per eum.

De Reconciliatione & Iustificatione hominis
coram Deo.

Duo

XVII.

Duo distincta beneficia sunt, reconciliatio mundi cum Deo & justificatio hominis, quæ ut causa & effectum se mutuo respiciunt.

XVIII.

Reconciliatio enim ista, de qua hoc loco textus agit, est a- Reconcili-
tus clementissimæ voluntatis & immensæ dilectionis Dei erga atio hoc
humani genus, qua propter intercessionem filii constituti medi- est, acqui-
atoris, justissimam iram adversus homines conceptam deponit & sitio gra-
pro peccatis eorum filii sui satisfactionem tanquam λύτρον acce- tiæ & acce-
pat, testaturque se velle ut omnes homines hoc thesauro gratiæ ptatio sa-
utantur & salventur, ratisfactio-
nis Chri-

XIX.

Hoc respectu reconciliatio spectat ad totum genus huma- sti.
num, dicente Apostolo, Deus mundum sibi reconciliavit, & de-
notat ingentem thesaurum gratiæ toti humano generi per Christi
meritum acquisitum.

XX.

Alia quæstio est de huius universalis thesauri applicatione ad
singulos; Ea demum fit, quando media huic instituto servientia ab
hominibus rectè usurpantur, quando nimirum peccatores per a-
quam & Spiritum regenerantur & agnitis peccatis fide confugiunt
ad mediatorem veniamque delictorum sincerè petunt.

XXI.

Id quando fit, tum homo dicitur cum Deo verè reconcilia- Reconcili-
tus, & coram ipso justificatus, & habet gratiam Dei, remissionem liatio sin-
peccatorum & vitam æternam. XXII. gularum

Neque bona hæc acquirit ullo operum propriæve sanctita- juncta est
tis merito aut dignitate, sed ex mera gratia Dei, per Christum re- justifica-
conciliati universo humano generi, & seriò volentis ut omnes hac tioni.
via ad agnitionem Veritatis perveniant. 1. Tim. 2.

XXIII.

Idcirco Apostolus vocat imputationem, qua id quod nostrum
est non nobis sed Christo, & vicissim id quod Christi est, nobis im- Imputatio
putatur in eum credentibus. Utraque enim imputatio tam nega-
tiva quam affirmativa in justificatione nostra concurrat. 2. Cor. 5,
Rom. 4. Psalm. 32.

24. Sicut

1672

17



XXIV.

Sicut igitur Christus factus est pro nobis peccatum, non inhe-
rente in ipso malitia, sed Deo Patre ipso imputante tam culpam,
quam poenam peccati: Ita & nos efficimur justi in Christo, Deo
videlicet non imputante nostrum peccatum, sed potius imputante
nobis Christi obedientiam & perfectionem.

XXV.

*De justifi-
catione u-
niversali.*

Imperitè ex hoc insigni textu Apostoli concluditur ab aliqui-
bus universalis omnium hominum justificatio & Electio. De Ele-
ctione enim non concionatur hoc loco Paulus, neq; ea ex sola Dei
reconciliatione est definienda, sed ex toto ordine, quem sapientia
Dei æterna huic negotio præfinivit.

XXVI.

Etsi autem totus mundus ratione acquisiti meriti Deo recon-
ciliatus dicitur, tamen non idcirco dicendum est, quod totus mun-
dus sit coram Deo justificatus, ad hanc enim requiritur fides, sine
qua nulla est hominis coram Deo justitia, Rom. 3.

XXVII.

Et commentum hoc universalis justificationis refutat textus
ipse, dum ministerio Evangelij testatur invitari homines ad ample-
ctendam hanc gratiam per Christum acquisitam. Ideo enim voca-
tur ministerium reconciliationis: Et obsecramus pro Christo, Re-
conciliemini Deo. Hoc verò dici non posset, si jam ante in isto
totius humani generis complexu singuli Deo actu essent reconci-
liati, sicut ineptè fingunt nonnulli.

XXVIII.


*De mini-
sterio.*

Deniq; ministerij Evangelici, per quod hæc tanta bona ho-
minibus offeruntur, natura discernitur à ministerio Legis ornaturq;
amplissimo titulo Legationis Dei, quo & ministerij dignitas
prædicatur, & ab auditoribus reverentia & obsequium exigun-
tur.

Soli Deo gloria,







Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle 3
002 392 011




TA → OL

VD17

Retrokonv.,







DISPUTATIO SEXTA
EX EPISTOLA
PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, proponens ἀνάληψιν capi-
tis quinti,

Cujus positiones
Divina adjuvante gratia,
Præsides

DAVIDE RVNGIO S. S.
THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE
in Academia Vvitebergensi publico
defendet 23. Junij,

M. IOHANNES HUSVVEDELIUS
Hamburgensis,



VVITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus
Pauli Helwichij, Anno 1599.

